

5



15

LIBERIA SANCTI FRANCISCI
SALESII
GENEVENSIS
ANTISTITIS
LAUDATIO.

QUAM
HONORI,
AC
VENERATIONI
PRÆNOBILIS, ET GENEROSI
DOMINI
**FRANCISCI, ANTONII,
CHRITSOPH**

REGIÆ, LIBERÆ MONTIUM URBIS
KUTTENBERGENSIS
VIRI CONSULARIS
DIGNISSIMI,
PATRONI GRATIOSISSIMI
DICAVIT
CONVENTUS MINIMORUM S. FRANCISCI
DE PAULA
PRAGÆ VETERIS;
DIXIT
IN EORUNDENM BASILICA SANCTI SALVATORIS
NICOLAUS GEBAUER
S. J. PRESBYTER,
ANNO ÆRE CHRISTIANÆ MDCCCLXI. DIE IV. KALENDAS
FEBRUARIAS.

LITTERIS ACADEMICIS, PER JOANNEM GEORGIUM SCHNEIDER,
FACTOREM.

PRÆNOBILIS, AC GENEROSE
DOMINE,
VIR CONSULTISSIME,
PATRONE GRATIOSISSIME.



Multa nos procul dubio avocare potuissent, quo minus tam alieno praesertim tempore, TIBI VIR CONSULTISSIME incommodaremus; verum ut, quam SANCTO FRANCISCO SALESIO sub anniversaria solemnia pro more adornavimus, laudationem nomine TUO insignire non dubitaremus: NEPOTIS TUI JOANNIS dilectissimi nos provocavit egergia in SANCTUM pietas æque, ac cumulata in nos beneficentia.

Quodsi enim NEPOTIS TUI in augendis SANCTI honoribus studium nobis est testatissimum: neque de TUO sine piaculo sentiremus parcus: qui posteros TUOS, quemadmodum compertum habemus, non tam fortunarum TUARUM, quam virtutum malis ex esse heredes.

At enim Honori TUO nuncupari oportuisset prius? si quidem de dignitate agitur, ultra confitemur; Nunc vero officii

ORATIO.

ficii nostri tantisper dilati veniam prestatibimus : quod aditus
ad TE patefaciendi causa GENERO TUO, ac NEPOTE
internunciis TUI amantissimis usi sumus.

Non designaberis proinde munusculum istud Venerationi
TUÆ dicatum, quantumcunque re ipsa exiguum, voluntate
nostra certe maximum, benigne, amanterque completi. Neque
istud sine laudum TUARUM incremento præstiteris, vel pro-
pterea: quod a Benevolentia TUÆ magnitudine illud mirum
quantum illustrari omnes, qui TE norunt, non poterunt non
intelligere.

Nos pro TUA, TUORUMQUE incolunitate perpetua
apud Cœlites nostro interpellandi munere nunquam defunge-
mur. Quod quum facturos nos recipimus, propensissime Vo-
lentatis TUÆ Favoribus, ac Gratiis, quam possumus, offi-
ciosissime nos commendamus.

PRÆNOBILI,
AC
CONSULTISSIMO DOMINO

DEVOTUS CONVENTUS

Minimorum S. Francisci de Paula
Pragæ Veteris ad S. Salvatoris.



E a est divina circa plurimos, quos ad majora de-
signavit, Providentia: ut non una duntaxat
commendentur dote, sed sua etiam singularis
quædam ornent singulos: qua una saltē, ce-
terisque non communī, præfulgeant P. P. plurimum Reverendi,
exterique A. A. quoquo honorum nomine compellandi. Inde
fieri natum est, ut pluribus hi jam titulis insigniti bellica sub vir-
tute conspiciantur magis: illi armis tametsi tractandis non impa-
res, non bellica, sed re præminent politica; alii leges condon-
do pro Patria sapientissimas, melius hoc nomine prædicentur:
melius alii, dum labore suo, vigiliis, fortitudine stabilitas leges, So-
cietas jura curant observanda; alii deīnum, qui Magistratus
profanos essent quosvis illustraturi: ab sacerorum nihilominus
procuratione celebrentur quam qui maxime. Denique ut paucis
exequar, qui magnam, eanique veram nominis famam conse-
quentur aliquam: per singulare quidpiam, ac proprium, sus-
fragia, gloriam, & admirationem sibi demerentur.

Jam vero quæ Sacerrimorum ab Sancto Genevensium Antistitec
FRANCISCO SALESIO per vitam gestorum apta ex hoc di-
cendi loco poterit a me inveniri laudatio? Dabiturne mihi copia
dicendi felicior, quam hac una, non vulgaris, sed maxima: non
communis, sed propria tanti Viri prerogativa: cuius ad aspe-
ctum miremur omnes? Ut miremur confido fore, talis enim non
est: quam mors cum vita proripiata continuo mirantium ex ocu-
lis; quam homines soli prosequantur laudibus, celum vero mu-
neribus non coronet.

Qui peculiaria Salesii ornamenta contemplantur attentius:
iis duo quædā occurunt in omnem vitæ partem ita fusa, ac la-
te patentia, ut extera illis comprehensa possint videri. Hinc
acer, & fortis animus, quem nihil eorum fugiat, quæ prudentia
videre debeat; qui nihil corum relinquat infectum, quod ar-
ef-

efficere , quod virtus exequi possit ; inde moderata , lenisque indoles , quæ rerum agendarum molles captet aditus , quæ medios hostium impetus pervadat tranquilla , quæ ejusmodi non aliter , atque placabilitate noverit infringere , quæ victos ulciscatur benevolentia , quæ verbo plus concedat æquitati benignæ , quam rigor , ac potestati . Viam nimirum inter eos , qui aut æquitate velut nimia , aut indulgentia peccant præpostera , sequutus medium : ne cum his , quod secundum est , foveret vulnus ; cum illis , dum paulo acerbiorem faciunt medelam , malum ne faceret ingravescere , DEUM ipsum , quem imitaretur , intuitus : cuius hominum in partes suas alliciendorum , regendorumque ratio hoc habet , ut efficacissima audiat eadem , & suavissima . Persequitur fortiter , quod est e sua dignitate : ita se rebus tamen ipsis , & hominibus accommodat , nihil ut possit esse suavius .

Id ipsum in vindicanda ab hæresi , ampliandaque fide Romana ab SALESIO peculiariter præstatum si demonstravero : muneri meo , quantum mea fert imbecillitas , satisfecisse me reputabo . Ajo itaque FORTIS fuit SALESIUS , fuit MODERATUS . Fortis , ne quid ageret segnius : moderatus , ne quid aut designaret ipse , aut designandum curaret inclementius ; fortis , ne munieris sui Sacerrimi auctoritatem , qua valebat , desiderarent Catholici : moderatus , ne severitatem merito accusare possent heterodoxi ; fortis denique , ut errorem debellareret acriter , & ab imis velut radicibus evelleret : moderatus , ut non ipse solum cum quibusvis ageret comiter , sed prospiceret etiam , ut , qui errorem deponerent , perhumaniter ab aliis haberentur .

Utramque dotem parte ut edoceam gemina felicius , tametsi P. P. plurimum R. R. Auditoresque cæteri , quæ vestra est humana-
tias pereximia æque , ac in SALESIUM pietas , benevolentia
essest dicentem ultra prosecuturi ; eam tamen , quanta possum ,
veneratione implorem maxima , oportet vel propterea : quod
expetendam oratoris urgeat officium tum præcipue : cum , argu-
menti magnitudo ut non ea , qua par est , gravitate adæquetur ,
potest , ac debet timeri . Quod quoniam timendum mihi est :
istud a vobis precibus contendo , ut tantum vestra me voluntate
bona , ac propitia sustentetis , quantum mihi virium , & ingenii
ad partes meas hodie explendas deesse persentisco .

P A R S

P A R S P R I M A .

Quam ad laborum , ærumnarum , vitæque discriminum genus omne animo esset robusto , & invicta constanza SALESIUS : facile intellexeritis , si , quem hostem ? quo pacto debellarit ? Mentis Vestra cogitationes mecum tantisper convertatis .

Allobrogum Ducatum & antiquitate nobilissimum , & hominum frequentia cæteris non inferiorem , Caballiacensem intellico , fr̄de inundarat Calvini hæresis . Quibus autem maxime rebus vigebat , ac florebat A. A. ? eo audacia proœcta legitur : ut primum arces velut suas , & propugnacula liaberet , templa dico , antra illa feralia , ut Theodosii Magni verbis utar , quo se immanis bellua reciperet : inde in lucem publicam , ad honores , ad magistratus emersura e cœno , ac tenebris , ubi edita olim fuerat ; atque ita emergerat inde , ut deturbatis ubique crucis , ac Sanctorum simulacris , sacris Catholicorum ædibus partim extortis , partim devastatis ne vestigium quidem superesset Romanæ Fidei . Quibus præsidii fines suos tam subito , tamque late produxerit ? Non fallam exspectationem : facinerosos per spem alliciebat impunitatis ; multitudinis levitatem flagitiosa fovebat libertate ; insidiosa demum liberalitate aliorum lenocinabatur cupiditat : aliorum egestati offerebat perfugium . His artibus graſſabatur in ædes nobilium , in curiam , in sceleratorum animos , in egentium gratiam , in omnium perniciem .

Ferebatur ad hæc importuna pestis per medias urbes , Sacerdotum exuviis , Catholicorum sanguine , Civium exitio , cladi busque civitatum pasta . Illam circumducabant erroris magistri , virusque ut spargeret latius , adjuvabant ; præibat accinctus ferro , & ad cædem expeditus furor , populus vecors thure supplex , vietimisque sequebatur ; huic Parentes liberis , & opibus divites , imi e plebe capite suo , & nomine litabant . Tanta mole laborabant miseri , ut perirent ! Dum tandem Carolo Emmanueli Sabaudia' Duci Serenissimo , quam dudum op̄iarat felicitatem Pater ejusdem Philibertus , occasio daret se se per opportunitatem Reducendam fidem Orthodoxam in Gaballianam Di-

Ditionem , agrosque , quibus Geneva cingitur , Ternerenses , & Galliardenfes daretur incumbere . Helvetiorum namque proditorie irrumperitum foedere , ad quod pangendum dura illius temporis necessitate compulsus Pater , solutum se vix comperrat Carolus : nec mora , perfidiosis ad spelæa sua feliciter repulsis , Gebennenium Episcopum , Granierius is erat , literis convenit : de Provinciis illis ab hæreticorum colluvie repurgandis prospiceret quam oxyssime . Verum qui possent , pauci , quique simul vellent tantæ negotiorum moli pares & offerre , & adferre humeros , ac animos , paucissimi . Unicum Gebennenium ea tempestate Præpositum spectassemus , nuncio isthoc exoptatissimo recreatum , ut nunquam magis . Nihil cunctatus : unus is cum Patrueli Ludovico sibi conjunctissimo progreditur aduersus hydram capitibus septem amplius armatam . Ut vero in singulis ejusdem capitibus non amputandis modo , sed radicitus excindendis tam consilii auctoritate , quam laborum frequentia valuevit ? Percipite .

Studia inter præcipua erat & istud : quo pacto vindicaret partium , partim hæreticorum fana everteret : quorum numerus præter leges , & modum omnem excreverat . Proh temporum labem ! Eone res Catholicorum recidisse , ut hostibus infestissimis arces , & propugnacula ponere adigerentur ? Quis nostrum non ingenuisset ? Quis oculis siccis videre , mediis in urbibus , in agris suburbanis , in Virorum nobilium prædiis , ac fundis ædes , aut recenter excitatas , aut , quæ vero prius cultui devote , profanatas , quasi totidem erecta de Orthodoxis trophæa , & victæ religionis tristia monumenta ? Cernebantur opposita templis , vel potius ruderibus templo , impia Sanctissimis , recentioribus antiquissima , quæ vetustate sua nuperæ Sectæ novitatem condemnare videbantur . Illuxit , laudes DEO immortales , nihilominus aliquando dies , quæ labem hanc elueret ; jacent compluribus in locis feralia delubra , jam eorum passim ruinæ , ac rudera ostentantur , alia pristino decori suo , & cultui restituta visuntur . Quæ tanta vis , quæ repentina tempestas , quod fulmen hanc stragem edidit ? Quid ista errorum lustra , & spelæa disturbavit ? SALESIUS disturbavit consilio , evertitique , DEUM nempe Tonantem , & impias arces flammis atrocibus prouenter imitatus , imitatus primævos Ecclesiæ Apostolos , quibus nihil jucundius , optatus

ni-

nihil , atque ut Ethnicorum fana aut suis passim ruinis obrui facerent , aut sacratioribus dedicata ritibus DEO , superisque melioribus consecrarent .

Utinam vero tam prounum esset errorem ex animis eradicare , quam templo , in quibus error populo proponitur , aut evertere , aut abripare ! Jacentibus his , eversis , vindicatisve vivit spæ , & viget in animis alte defixus error , aliis ad hac munitus præsidii haud paucis : ibi colitur , ibi nova sibi exstruit templo ; hæc tam dißipanda , ille exterminandus est . Utrumque Antistitis Beati fortis industria pars erat præcipua .

Quod populum ad amplectendam , ac retinendam hæresim alliceret , spes erat impunitatis , Qui ita ? Cito dicam : novatores Tribunalia occupabant . Quid porro ? Forsan , ne quid in suos præter fas , & æquitatem statui posset ab iis , qui essent ab ipsorum partibus alieniores ? Imo vero honesta ratio , plena æquitatis species , consilium erat hujusmodi , ut per eos Judices venia suis , & pœnae quereretur iminunitas . Consilium probabat evenitus . Imponenda cuiquam de secta Calvini erat mulcta ? Imponebatur quam levissima . Capite luendum erat scelus ? Quærebatur effugium . At reclamabant leges , & reum plecti jubebant ? Mitior aliqua legibus adducebatur interpretatio . Ita reus clabebatur , vixque per id temporis repertus est aliquis e Calvini assecclis capitali implicatus criminis : cui præclara ista judicia salutaria , & optanda non fuissent . Quid ni gernerent hunc in modum compressæ leges ! Gerneret res Catholica ! Adfuit SALESIUS , & rem ut indignissimam , ita & fidei promovendæ valde perniciösam intuitus , si auctoritate legum erroris armaretur perfidia ; quare partium suarum esse ratus , auctor ut esset Duci : hæc judicia omnino tolleret , neque ullum deinceps ferret idcirco potiori esse conditione , ac venia digniorem : quia & suo quodam privato , & communī falsæ religionis criminis teneretur .

Nec minus injecto pœna metu , quam spæ impunitatis adempta in vulgus profecit SALESIUS ad recipiendam , retinendam , stabiliandamque Religionem Catholicam , & fidem . Erat multorum comprimenta levitas , multorum fleetenda , infringendave obstinatio . Solebant enim bene multi aliam ex alia religionem attripere , neque istud fere sequi , quod putabant verisimum : sed istud putare verissimum consuevere , quod sibi utilissimum arbitrarentur . Alii seu quod , ubi firmata utuntur ratio .

B

ne ,

ne , admodum difficulter respuerent ut falsum , quod ut verum comprobare primis ab annis didicere ; seu quod parti adversæ aurem detrectarent omnem , ne errasse se , bellumque cupiditatis indicendum edocerentur . Quid hic consilii ? Quibus machinis firmabitur vertumnus ille ? Quibus saxum istud aut emollietur , aut eruetur ? Paribus facile machinis occurretur utriusque . Instaurandas quid ni poenas judicetis , quæ antiquis legibus statuta ? Deportandos in exilium nunquid utrosque ? Publicanda bona ? Cum hoc simul discrimine : ut inconstantibus transfugis , qui a susceptis antea Catholicorum partibus ad Calvini placita defecerint : publicam ignominiam multam certo ritu publicandam , ac more obeundam censeatis addendam ? At enim quid ista ad SALESIUM ? Non esse ista illius opera haud inficior : Ejus tamen esse suasus nec vos A. A. negaveritis.

Quanti autem roboris ? Habete . Perviderat proculdubio Serenissimus in potestatis suæ , atque ærarii detrimentum redundare , si tot cives e Regno proscriberet , idque quotquot a sanctioribus erant consiliis , disuaserant singuli : auctore SALESIO proscribit . Noverat desperatos exules acriores in se aliquando , ac validiores hostes futuros , nec non exterorum vires in Sabaudia Provincias concitaturos , idemque periculum exaggerarant Aulae Ministri . Concitent , tumultuentur , insaniant hæretici , reclamant Ministri : impulsore SALESIO tantum abest , ut vel latum unguiem ab ejus discedat sententia , ac revocet animum , ut potius muniat , obfirmetque ad quamvis utilitatem , atque dispendium contemnendum , nihilque sibi reputet augustius , optatius nihil , quam se , suaque omnia avitæ Religionis incoluntati , & gloriæ devovere . Ardens igitur , & erectus suis petendos fulminibus censuit , ac edito saluberrimo , quis quis intra definitos temporis limites nondum resipisceret , e Caballii finibus jussit excedere . Quot uno velut iœtu capita hic resepta sunt ! Non levitatis solum , & contumaciæ , sed pestiferæ etiam liberalitatis . Erant qui spe pecuniae in fraudem se induci sinerent , erant & , qui inopiae suæ quererent subsidium , qui mali esse vellent , ne essent miseri ; relegatis autem iis , qui cupiditatem , aut egestatem istorum pascerent , utrisque spem præcisam nunquid intelligitis ? Atque metu isto felici quadam necessitate boni esse compulsi sunt , qui amore pietatis , ut boni , & beati essent , adduci nolebant .

Sed ut ut valeat metus apud populum , qui spe , ac timore capi

capi amat ; minus tamen roboris invenit in nobilium animis , qui honore , & gloria ducuntur ut plurimum . Bene est : hoc ipso uteatur hamo SALESIUS , ut a pestiferæ novitatis illecebris abducatur facilius . Avidior est gloriæ nobilitas ? Omnis , si a Parentum , Majorumque fide degeneret , ad gloriam præcludatur aditus . Adspirat ad honores , & insignem in Republica gradum ambit ? Nemo publicum gerat munus , qui publicæ , & Patriæ Religioni miserit nuntium ; neque enim , audire mihi videor SALESIUM , tuto creduntur ii in fide , quam Duci debeant , sat firmi : qui obstrictam , ac DEO debitam non exsolvunt . Quid deinde ? Num in amplissimis ordinibus , ac societatibus , num etiam in senatu aliquis potest esse locus alienæ fidei , ac disciplinæ Alumnis ? SALESIO judice , impulsore nullus . Exclusi sunt certis legibus , omni dignitatis gradu , munere , & administratione omni publica prohibiti . Deturbata ergo hæresis ex illo fastigio Magistratum , & honorum , ad quos obrepserat ; sepulta Nobilitatis insignia ad natales tenebras , & ignobilitatem redacta sunt .

Quæ cum ita sint A. A. : alienis ex meritis quid si gloriæ SALESII libare voluisse possem videri ? Serenissimus Carolus Emanuel scilicet expeditionis sacræ auctor non erat ? Quod semel capit , quod hortatu Salesii ingressus , exequutus non est ? Et qua ratione ? Non posthabito tantæ utilitatis publicæ dispendio ? Contemento tranquillitatis periculo ? Quid roboris hic exeruerit SALESIUS ? Næ ego ini quis rei arbiter , si Duceni religiosissimum exiguam in partem laudum admittendum autuma . Equidem , si quid recte sentio utrique excelsi animi commendationem , ac famam deberi apud posteros immortalem contendeo , quin tamen alterutram ab altera obscurari asserendam putem . Singularis sua perstat utriusque illæsa ; non item utriusque communis . Quemadmodum Romani coronas victoribus suas , sed singulis pro diverso victoriæ genere diversas huic civicam , illi muralem , castrensem alteri , alteri triumphalem decernebant ; sic & laus diversis virtutibus , iisque modo diverso exercitis , diversa pro cuiusque ordine , conditione competit aquilime . Utique , quod suarum erat , partium explevit cumulatissime : alter suadendo fortiter , hortando ; exequendo , vel potius imperando duntaxat alter . Adhuc ne lauream , quasi furto sublatam , Duci que per injuriam detractam , SALESIO : quis criminetur ceu novo cuicam Heroi adjectam : qua non tam ornetur ipse , quam obruatur ? quæ ob la-

xitatem male inhæreat capiti , atque ita , ubi orator manum retraherit , illa continuo decidat , sicque , qui in hoc justo amplius laudatus est , laude spolietur omni ? adeo istud haud metuo , ut etiam , utri horum partes tribuendæ potiores ? Vestro A. A. committam judicio.

Sit auctor cœpti operis glorioſissimi Dux piissimus ! quis ipsam curarum , & negotiorum ſuſcepit multitudinem ? Nonne SALESIUS ? communierit ille literis commendatitiis auctoritatem SALESII , omnique potestate instruxerit ! At iſte ſudavit , & alſit . Obſtruſerit ille levitati perfugia , repreſſerit contumaciam , compuſerit effrænem vivendi licentiam metu , ignominia , pœnis ; templa vindicari alia , alia ſolo æquarit ; verbo , quidquid hæreticæ perverſitati opitularetur , edictorum enervarit robore , ſuſtuleritque penitus ; at non iſta indicavit SALESIUS ? Utque perficiendis his manum admoveret ſedulam ; afflatu quodam cœleſti animatus , rationum pondere non expugnavit Principis animum ? Id unicum , ut cætera interim taceam , quis facile audeat ? Si tantum fit Christianum animi robur virorum ſpiritu Apoſtolico præditorum : qui ad Præfectos Provinciarum , ad Principes , ad Judices , ad eos denique , qui ſupremo in Republica loco ſunt , oratione liberrima uſi ſunt , inter decori , atque officii leges duntaxat : ut ſi Nicolaum Myrenſem veneramur cum Eustachio Afriæ Pro-Consule conſtantiffime diſceptrantem ; ſi Athanasium cum Præfecto Lybiæ , Ambroſium cum Theodoſio , Baſiliū cum Modeſto Præſide , Chryſoſtomum cum Præſide item Lybiæ , Auguſtīnum cum Bonifacio Africæ comite , cumque Marcellino item Provinciae ab Imperatoribus præfecto ? Mentiſ celſitudinem negabimus SALESIO Tononi modo , modo Anecii , Taurini alias , idque ſemel , iterum , ac tertio coram ſereniſſimo , Nuncio interdum Apoſtolico , Aulaque Ministris cauſas fidei promovendæ agenti ? Atque , ita agenti : qui ſine fuco , libere , ut muneris ſui depoſebat ratio , cum venerationis ſignificatione ſimul , ſimul ea , argu-mentorum vehementia , quid e re foret Catholica , ediceret ; ut ab Ejus ore tanquam ab Divino quodam Spiritu profeſta ſuſpi-cerentur , a quibus diſceſſionem facere nefas duceretur ? Ita agenti : qui flagrante Henricum IV. inter , & Carolum Sabaudum belli diſfidio , pervadere hostium caſtra , Regem adire , eundemque . ut , qua in novatores ſanctiſſime eſſent ſtatuta nupere , manerent intacta , deprecarī non pertimesceret ? Neque ſpe ſua excideret ?

Ita

Ita agenti qui item alias , ut Gexiensibus triginta & amplius Pa-reciarum populiſ Catholica rediret libertas , ſacris animarum Curionibus priſtiſ fructu annui , ab eodem impetrarit Christia-niſſimo ?

Habet proinde laus , qua in Principem redundant , plus ſplendoris , quod , quidquid ab ejusmodi ortum ducit , nihil poſſit non eſſe magnum : SALESII vero , eti non ita feriat oculos . certe plus obtinet meriti , quia plus tulit oneris , & laboris .

Quid enim & Principi , & Caballianis non contulit opera , ac vigilie ? Putamus fuſſe Romanæ fidei futurum consultum ſatis : modo ad eam allicerentur præmiis , pœnis arcerentur ad hæresi ? Quam ſæpe arridet error præ quoquaque lucro , nec pœnis adeo emollitur , ut etiam induret ! Non dispellatur veritatis luce : num id genus imperiis libenter , num prompte , num ex animo ſubmittet ſe ſe ? Quam diu ? Quotus quis ? Renascetur hydra e vulneribus facundo velut e ſanguine : niſi imis e præcordiis eruatur . In hoc quidpiam ab SALESIO deſiderari poſſit ? Quorū ſum amabo tot itinera , erant autem pene quotidiana , ſeviſſima aëris tempeſtate confecta , perſepe etiam ſanguine ſuo reſpersa ? Quorū ſum tot vitæ fuſcepta diſcrimina , qua partim laboribus irremiſis , atque incommodis ſibi arceſſeret ipſe , partim qua ab hostibus ubique , ſemper eidem impenderent ? Quorū in legis Christianæ rudimentis & xatulae teneræ , & rudi plebeculæ initilandis tam aſſiduus ? Quorū non in templis , ædibusque tantum . ſed in ſummis etiam Sabaudia montibus , mediis in ſemitiis , juxta Gebennæ portas , in iphis eius , aliarumque urbium foribus tot de capitibus fidei controverſis tam acres , tamque graves inſormarit sermones , quibus reſiſtere poſſet nemo ? Quorū tam intrepidus , tamque diſertus in diſceptrando cum Novatorum ſacrificulis ? Quorū ? Eventus aperte docuit : aliī namque cum Latobrigensibus iterum , iterumque ad diſceptrandum provocati , die nihil minus condicto promiſſa ſefellerant ; aliī ſola SALESII fama perterriti vel conſpectum reſormidaverant ; aliī cum Theodoſio Beza xvi ſui facile principe convictos ſe non negaverant ; Alii co-rumque complures vietas continuo præbuerant manus Veritati agnita . Testor pravorum dogmatum architectos , præter alios magni apud ſuos nominis , Davulium , Molinum ; testor tum munerum dignitate , cum doctrinæ fama conſpicuous ; testor anti-quitate generis , & gloria Majorum florentiſſimos utriusque ſe-xus ,

xus, cuiusvis ætatis; testor Dynastas, qui SALESIO, aut disceptanti, aut verba facienti, aut familiariter colloquenti fidei Romanorum Brentinos, Taurini, Tononi, Gexiique incolas in calculum non redigam: septuages centies mille homines ab inpiæ hæreses iste satis, superque constat. O Virum sane Divinum, ab cuius ore adeo penderent corda hominum!

Neque fortitudinis meta in eo duntaxat figebatur, quod quantum a Geneva ad Valesios excurrit, a monstros vindicarit hæreses, nisi & ad errores novos avertendos, atque ab infestis sanctitati vitiis, ac moribus expurgandum curam perpetuo vigilem, solicitamque impenderet, atque in iisdem stirpibus excidens ad extremum usque spiritum elaboraret. Singula ut adducam iniquus sit exigendo, ego infinitus exequendo, compendo utar: quarundam ab SALESIO obitarum functionum refri-
cabo memoriam. Ut de iis, quæ uti Divina ministrare Myste-
ria, animarum pastoribus, qui otiosi esse nequeunt, in dies occur-
runt cumulate, nihil meminerim: Ille solari afflictos, sublevare pauperum egestatem, desides urgere, induratos emollire, de-
speratos in spem erigere, facinorosos ad probitatem reducere, de-
probos ad præclariora virtutum decora impellere, modo Patris,
modo Judicis: alias innocentum causas agentis, medici alias su-
stinere vices non perfamiliare modo, sed in deliciis etiam habe-
bat; denique catenatis laboribus nunquam non intentus, at eo modo:
quo laborem cum voluptate miscent homines, dum uberrima in messe sub manipolorum in cortem deportandorum fasce
rantum non succumbunt.

Colligite tandem, atque expendite per otium, quæ huc usque a me allata sunt: reperiens A. A. nisi vehementer fallor,
SALESIUM paucis annis tantum confecisse ad statuendam, am-
pliandamque Religionem Catholicam, & ab hæreticorum co-
natibus vindicandam, quantum illi ad convellendam, & indu-
cendam deteriorem omnibus machinis, cuniculisque annis ab-
hinc quadraginta amplius effectum dare poterant. Illi magi-
stros errori disseminando collegerant, intruserant Catholicorum Paracissis: Hic dissipavit, veraque fidei Doctores sufficit,
Paracias, bonaque Ecclesiæ justis possessoribus reduxit. Illi
tempora extruxerant nova in alieno solo, omnia pene Romanis

ex-

extorserant; Hic ista recepit, illa demolitus est; Illi judicia contra leges, & æquitatem exercebant, Hic sustulit; Illi populum deliniebant, & abducebant ab Majorum institutis: Hic multitudinis levitatem poena, metuque comprimi fecit; Illi contumacia armabant complures; Iste hos ut rebelles curavit exilio rescindendos; Illi Virorum nobilium splendore, opibus, gratia lucem afferre conabantur obscuræ disciplinæ, ac nuper e tenebris emersæ; Hic viros nobiles, in antiquissima, proindeque nobilissima religione constantes ut essent, pervicit. Adeo singula infernalis illa hydra capita auctoritate SALESII, qua apud Ducem valebat maxima, præcisa sunt, neque præcisa tantum, sed, ne suis e cædibus renascerentur, aut reviviscerent, etiam excisa sunt, ex intimis, intelligo animi penetralibus argumentorum acie limata, atque anticipi exturbata, prostigata sunt. Quid ni SALESIUM nihilo summis Antistitibus inferiorem existimem? Quod eam rem spectat, satis superque comprobat non fortitudo so-
lum, diligentia, ac efficacitas tanta in propugnandis, latiusque producendis regni Orthodoxi finibus præstata: ne quid ageret segnius, ne muneric sui potestatem desiderarent Catholicæ, utque errorem extirparet radicitus; verum æquitas etiam, ac mansuetudo, qua erga ipsos religionis hostes nunquam non usus est: quod altera Orationis parte mihi superest breviter explicandum, si, uti confido, porro favetis.

P A R S S E C U N D A.



Tametsi Virtutes inter ceteras mansuetudo locum non oc-
cupat primum; nihil tamen teste Tullio laudabilius,
nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate,
& clementia: idque fortasse ideo: quod eam virtu-
tum multitudo si non antegreditur, certe comiratur. Illud mi-
hi persuasum habeo, quod quemadmodum justitia sine clementia
degenerat in tyrannidem, ita clementia non conjuncta justitia in
perniciosam scelerum abeat impunitatem. Quanta inclauerit &
justitia, & clementina SALESIUS: quid necesse est operiosius, ac
fusius comprobare? Estne aliquid ab eo factum cum aliqua cu-
jus-

jusquam injuria, vel contumelia? Quid non moderate, quid non clementer, ac benigne? Sunt Calvinianis leges, sunt illis privata quædam jura, quibus potiuntur, ac propria? Potiantur fane; sunt quædam ipsis alias concessa? Retineantur; at præter fas & æquum concessa sunt? Ab invicto Philiberto extorta? Fruantur illis tamen: siquidem concessa sunt. At quædam contra leges invaserunt? Repetantur ea, ac restituantur; Præter edicta Princiqis fecerunt aliquando? Abrogetur ejusmodi, si quid est, ac irritum esse jubeatur: tum ne quid ipsis fiat injuria, cognitores opponantur, quæstiones propriæ de re tota instituantur.

Ingens æquitatis tuae SALESI gloria, sive jubeas ea servari, quæ promissa erant, sive repeti, quæ non erant. Prodeant ipsi, per me licet, seque, si possunt, aliqua re violatos doceant: nam quamdiu nihil præter querelas offerent, servire illos dolori cuidam suo, ac tempori, non veritati, ac justitiae arbitrabor. Quid autem adferre poterunt aliud? Dicent erepta sibi sexaginta amplius templa, totidemque fere Paræcias, paucos intra annos? cur ea contra leges, & veniam catholicis extorserant? Sublata Calvinorum judicia? Peto, num ea jure aliquo suo tenebrent, an permisso Principis, an beneficio? si jure aliquo suo, cur eo jure ad injuriam abusi? Si permisso, & beneficio: cur id ab ipsis repetere sit nefas, quod est per gratiam concessum, præsertim postquam admiserunt, ut indigni beneficio viderentur? Ægre ferunt multari gravius, qui Calvinianas partes amplectuntur de novo? Num ex pœnæ jam erant magnam partem tum antiquis legibus, tum edictis recentioribus constitutæ? Accusent Catholicæ fidei lumina, veteres illos Imperatores, qui hæc edixerunt; accusent Reges alios sapientissimos, qui ea instaurarunt; accusent potius hominum levitatem, & inconstantiam eamque his repagulis coerceri merito fateantur. Quid præterea publicam libertatem violari clamitabunt? Ait tu vero? Hæc tuo judicio libertas est; ut fas sit unicuique pro suo arbitrio infanire? Ut religionem contemnere, tanquam vestem, aut larvam commutare liceat, hæc libertas est? Ut otium, ac tranquillitatem publicam perturbare, omnia bellis, ac seditionibus deformare per causam Ecclesiæ reformandæ liceat, hæc libertas est? Profecto ita loquuntur, non libertatem religioni querunt, at sceleri: neque id agunt, ut nihil; sed ut facilius, tutiusque peccetur.

Videris æquitatem Antistitis in ea causa, ubi, si quid ab eo statuendum acerbius urgeret, haud iniquum tamen putaretur? Humanitatem admiramini.

An quisquam ignorare potest, quemadmodum eos accepterit, qui se sponte receperant ad Patria sacra; cum fuissent ad secundam hæresim aut natalium conditione, aut fato necio quo, Reipublica misero, funestoque compulsi? An non habiti sunt ab Duce, suadente SALESIO, peramanter, an non aucti opibus, gloria, dignitate? Quid eos, qui obstinatus in sententia persistere, quibus tandem armis expugnarit? Rotis, crucibus, equuleis? Imo vero tempus, quo Allobrogum finibus excedendum erat, deprecatore SALESIO, non prorogatum est? An beneficiis munieribus, liberalitate frequenter, semper humanitate certatum non est? Ac qui ne his quidem se viatos dedere veritati: solum iis vertendum cum constituit: quid justo acerbius statutum est? Poterat illicet SALESIUS muneris sui potestate, qua ab Duce esset instructus, velle obrutos: erectos maluit clementia; sermonisque comitate delinitos; poterat cogere: invitavit; frangere licebat; libuit inclinare leniter. Hæc namq; immortalis. Dei ratio est, quam solet in perducendis ad partes suas mortalibus adhibere, quos non armata semper, & fulminante manu insequitur, sed benignitate summa revocat ad se se; volentes allicit, non cogit invitatos; ita voluntatibus nostris suaviter, fortiterque imperat pastoris instar ramo vidente trahentis oviculam: ut earundem proclivitatí, ac propensioni serviat, non tam penitus majorum, quam bonorum premissi, ne mali sinus, admonet: neque spectat magis, quid postulet sua ipsius dignitas, & gloria: quam quod hominum salus, & causa velit.

Utinam vero in iis ipsis hereticis tanta olim existisset lenitas, & modestia, cum per temporum iniquitatem aliud poterant: quantam in SALESIO, qui tunc poterat omnia, benignitatem adversus ipsos, & clementiam merito admiramus! Non desolatas ferro, flammeaque Provincias, non Sacerdotes ante aras suas immaniissime trucidatos, non exultantem tota Germania, Gallia, Sabaudia funesto latrocino impietatem, atque audaciam annales Europæ etiamnum ingemiscerent! Non horribilem in cives carcinicinam exercuisse Anglia, quæ tibi apud omnes odium, commiserationem apud amicos, contemptum apud hostes, & invidiani peperit. Vedit Christianus orbis triste spectaculum, & cohorti-
C
ruit.

ruit. Pacatissimi homines , atque optimi, nonnulli e prima nobilitate falso judicio condemnati , fortunis , fama , dignitate spoliati , omni crudelitate lacerati sunt.

Versabantur hæc ob oculos Beato Antistiti , & Duci Carolo Emanueli omnia , & plura versabantur ; quia in Catholicos vi- cini quotidie struerent ? Quid in eosdem sui moliti non ita pridem essent ? Non ignorabant. Quidni jure talionis utendum Principi suassisset SALESIUS ? Tantum aberat, ut ne ipse qui- dem ad propulsanda continuata vitæ discrimina ullum unquam admitteret præsidium : quantumcunque ingereret Hermantius Ca- ballii Gubernator, quin imo gladio verbi Divini, ac ovina, quam supremus Apostolorum Magister ab suis desiderabat , armatus mansuetudine , de hæreticis triumphare maluit : nimis ut Lu- therus , & Calvinus nefariam ferro propagarunt hæresim ; ita Præfus mitissimus voce Domini mansuetudine animata extinquendam ratus. Certe Gebennensium non pauci (Testis mihi Ge- benna arx perfidia) hortatore , doctoreque SALESIO mode- ratissimo sanctam non fidem modo capessivere , sed cura etiam fortunarum suarum abjecta , modo cum Beato Antistite posset vivere , Patriam deseruere. Testis mihi foemina suos inter hæ- reticos facile princeps , quæ totos duos supra viginti annos in quæstionum de fide controversiarum studio posuerat , quæ insuper seu arrogantia , seu alienatione animi ne conspectum qui- dem ferre poterat SALESII ; quid porro ? Hæc ut ut procaciter, quod ut sibi videbatur apprime comparata , disceptationem ingredenter , prosequeretur conviciis : nihilominus comitati invictæ adversarii argumenta efficacissime dissolventis cedere , impietatem ejurare edocta est. Testis mihi Lutetia , cum stupuit Perdrievilliam cum familia bene ampla Romanis sacris accessisse : Perdrievillia quæ doctissimorum industriam multo abhinc tempore luserat omnem ? Illa salutariter perterrita , ut confestim SALESIANÆ dictionis suavitate victa , saniora caperet consilia ? Taceo gentem Raconisiam nobilissimam non ita multo post se- cutam ; taceo Sectariorum plurimos qui solis Beati dictionibus perculsi ad castra Catholica se recepero. Quid multis ? Hæc virtus SALESII factorum comes velut individua audire poterat ; hac , seu res esset cum summis , seu imis , nunquam non clarebat. Frequentabatur ab fidei desertoribus , inveteratis , scele- ra-

ratissimis ? Summa , qua poterat , benignitate complectebatur , & recipiebat , horas illis audiendis dabat , corripiebat , ubi po- sceret ratio : sed in spiritu lenitatis ; arguebat , obsecrabat , in- crepabat : sed in omni patientia. Impetebatur ab seditiosa tur- ba ? Læto conspectu , suavique compellatione furentem stitit , atque etiam ad veniam petendam flexit. Multis non probabatur tanta placabilitas ? Istorum rationibus adeo non movebatur , ut etiam Ducus sui Divinissimi refractarios lente objurgantis obje- etaret exemplum , ad hæc identidem memor illius Augustini acroamatis : corrigi eos cupinus , non necari. Exagitabatur calumniis , maledictis , injuriis ? Adduci non poterat : ut in præ- coniorum loco ita non reponeret ; inovo muneribus , aliis- que benevolentia signis non ulcisceretur injurias. Ea humani- tas in animos quantumvis perversissimos tam alte penetrare sue- verat : ut hac sola victi fidem capesserent Vaticanam pernulti , certa velut ratione ducti : non posse virtutem tantam , nisi in regno veritatis consistere. Ut quam paucissimis absolvam om- nia , istud de coenunciaro poterat : Eum humanitate fuisse tan- ta , ut difficile dictu sit , utrum hostes magis virtutem Ejus pu- gnantes timuerint , an mansuetudinem dilexerint victi ? Glorio- siusne fortitudine , an clementia vicerit ?

Atque hæc sunt : quibus quod initio mihi præstitutum erat , SALESIUM regni catholici vindicem , ac propagato- rem fortem , & moderationem ostenderem : fortem qui ad depellen- dos , avertendosque errores nihil non ageret impigre tam ope- ra , ut consilio : moderatum , ne vel ipsorum hostium vera le- deret jura , dissipando erroris præsidia ; fortem qui potestatem suam sacrissimam usurparet intrepide , contumaces penitus coer- cendo : moderatum , qui plectendo non tantum non excederet , sed nec ante , quam frustratis omnibus benevolentie studiis , in quemquam animadvertisendum censeret ; fortem qui errorem ex intimis animi receilibus omnino exterinaret : moderatum , qui errantes non tantum haberet comiter ; sed curaret etiam , ut , qui resipiscerent , haberentur quam benignissime. Laudum , ac meritorum quoddam compendium in dote hac gemina quis non videat ?

Erat profecto pietatis , quod hæresim arcem impieatis e- verterit ; erat sapientie , quod nodum hunc Gordium explicare consilio , laborumque ludore dissolvere , quam ferro scinde- dum

dum maluerit; erat animi prorsus heroici, quod ea non timuerit; quae alii non immerito timenda esse senserant; erat felicitatis, quod eadem tam facile superaverit; erat gubernandi peritiae quod ius suum utrinque sartum, tectumque & apprime servare noverit, & etiam servatum voluerit; erat charitatis ardentissimæ; quod nihil non ageret, ut ab æterno exitio servaret errantes.

Supereft proinde ut tibi Præful Beate & Sabaudiæ gratulemur, isti quod sibi restituta, quam insanus novitatis amor a se distraxerat, quod hodie in vita fide sunt incolæ; quod haereseos incendium tam late sparsum restinctum est; quod illa pestis compressa, ne tristi contagio latius grassaretur. Quid hoc ad salutem ditionum tum Caballianarum, tum Gexiensium praestabilius? Tibi vero Antistes Beate gratulemur, oportet, quod consiliis, laboribusque irremissis tot hominum millia ab errore ad veritatem, a superstitione ad fidem revocaris, atque in spem, qua exciderant, immortalis beatitatis adserueris. Quid hoc ad gloriæ tuæ immortalitatem a te potuerit fieri insignius? Patere igitur, ut dum propter meritorum tuorum amplitudinem oratio mea capere non valet plura, saltem a quibus cœpit, in iisdem tuis laudibus conticescat.

D I X I.

A. M. D. G.

